

num auditus ad omnes sonos. Si autem hæc receptio fieret absque organo corporali, eadem potentia esset omnium sensibilium susceptiva: nam virtus immaterialis se habet æqualiter, quantum de se est, ad omnes huiusmodi qualitates: unde intellectus, qui non utitur organo corporali, omnia sensibilia cognoscit. Sentire igitur non fit absque organo corporeo.

4. Præterea. Sensus corrumpitur ab excellentia sensibilium, non autem intellectus: quia qui intelligit altiora intelligibilia, non minus poterit alia speculari, sed magis. Alterius igitur generis est passio sensus à sensibili, & intellectus ab intelligibili. Intellectus quidem passio fit absque organo corporali; passio vero sensus cum organo corporali, cujus harmonia solvitur per sensibilium excellentiam.

Quod autem Plato dixit (X. de leg.) animam esse moventem se ipsam, certum esse videtur ex hoc quod erga corpora apparet. Nullum enim corpus videtur movere, nisi sit motum: unde Plato ponebat omne movens moveri; & quia non iur in infinitum, ut unumquodque motum ab alio moveatur, ponebat primum movens in unoquoque ordine movere se ipsum. Et ex hoc sequebatur, animam, quæ est primum movens in motibus animalium, esse aliquid movens se ipsum.

Hoc autem patet esse falsum dupliciter. Primo quidem quia probatum est I. Lib. cap. xiiii. quod omne quod movetur per se, est corpus: Unde cum anima non sit corpus, impossibile est ipsam moveri nisi per accidens. Secundo, quia cum movens, in quantum huiusmodi, sit actus, motum autem, in quantum huiusmodi, sit in potentia; nihil autem potest esse secundum idem actum, & potentiam: impossibile erit quod idem secundum idem sit movens, & motum; sed oportet, si aliquid dicitur se ipsum movens, quod una pars ejus sit movens, & alia pars sit mota; & hoc modo dicitur animal movere se ipsum, quia anima est movens, & corpus est motum. Sed quia Plato animam non ponebat esse corpus; licet uteretur nomine motus, qui proprie corporum est, non tamen hoc de motu proprie corporum est, non tamen hoc de motu proprie corporum est, sed accipiebat motum communius pro qualibet operatione; prout etiam Aristoteles dicit in III. de Anima, text. comm. xxviii. quod sentire, & intelligere sunt motus quidam. Sic autem motus non est actus existentis in potentia, sed actus perfecti. Unde cum dicebat animam movere se ipsam, intendebat per hoc dicere, quod ipsa operatur absque adminiculo corporis, è contrario ei quod accidit in aliis formis, quæ non agunt absque materia: non enim calor calefacit separatim, sed calidum: ex quo volebat concludere omnem animam motivam, esse immortalem: nam quod per se habet operationem, & per se existentiam habere potest.

Sed jam ostensum est quod operatio animæ bruta, quæ est sentire, non potest esse sine corpore. Multo autem magis hoc apparet in operatione ejus, quod est appetere: nam omnia quæ ad appetitum sensitivæ partis pertinent, manifeste cum transmutatione aliqua corporis fiunt, unde & passiones animæ dicuntur.

Ex quibus sequitur quod nec ipsum movere sit operatio animæ sensitivæ absque organo. Non enim mover anima bruta nisi per sensum, & appetitum: nam virtus quæ dicitur exequens motum, facit membra esse obedientia imperio appetitus, unde magis

(1) Forte hac vicissitudine.

sunt virtutes perficientes: corpus ad moveri quam virtutes moventes. Sic igitur patet quod nulla operatio animæ bruta potest esse absque corpore: ex quo de necessitate concludi potest quod anima bruta cum corpore intereat.

CAPUT LXXXIII.

Quod anima humana non incipiat cum corpore, sed fuerit ab æterno.

SED quia eadem res inveniuntur & esse incipere, & finem essendi habere, potest alicui videri quod ex quo anima humana finem essendi non habet, quod nec principium essendi habuerit, sed fuerit semper: quod quidem videtur his rationibus posse probari.

1. Nam id quod nunquam esse desinet, habet virtutem ut sit semper. Quod autem habet virtutem, nunquam de eo verum est dicere, non esse: quia quantum se extendit virtus essendi, tantum res durat in esse. Omne autem quod incipit esse, est aliquid quando verum dicere, non esse. Quod igitur nunquam desinet esse, nec esse aliquando incipit.

2. Adhuc. Veritas intelligibilium sicut est incorruptibilis, ita quantum est de se, est etiam æterna, est enim necessaria. Omne autem necessarium est æternum: quia quod necesse est esse, impossibile est non esse. Ex incorruptibilitate autem veritatis intelligibilis, ostenditur anima se cum sum esse incorruptibilis. Pari ergo ratione ex ejus æternitate potest probari animæ æternitas.

3. Amplius. Illud non est perfectum cui plurimæ suarum partium principalium desunt. Patet autem principales partes universi esse intellectuales substantias, in quarum genere ostensum est supra cap. lxxviii. esse animas humanas. Si igitur quoties de novo tot animæ humanæ esse incipiunt, quot homines nascuntur, patet quotidie universo plurimas principalium suarum partium addi, & plurimas ei deesse. Sequitur igitur, universum esse imperfectum: quod est impossibile.

4. Adhuc. Etiam quidam argumentantur ex auctoritate sacræ Scripturæ: dicitur enim Gen. i. quod Deus die septimo complevit opus suum quod fecerat, & requievit ab omni opere quod pararat. Hoc autem non esset, si quotidie novas animas faceret. Non igitur animæ humanæ esse incipiunt, sed à principio mundi fuerunt.

Propter has autem, & similes rationes quidam æternitatem mundi ponentes dixerunt, animam humanam sicut est incorruptibilis, ita etiam & ab æterno fuisse: unde qui posuerunt, animas humanas in sua multitudine esse immortales, scilicet Platonici, posuerunt easdem ab æterno fuisse, & nunc quidem corporibus uniri, nunc autem à corporibus absolvi.

Qui vero posuerunt animas humanas esse immortales secundum aliquid unum quod ex omnibus hominibus manet post mortem, posuerunt hoc ipsum unum ab æterno fuisse, sive hoc sit intellectus agens tantum, ut postit Alexander; sive cum eo etiam intellectus possibilis, ut posuit Averroës. Hoc etiam videntur sonare & Aristotelis verba: nam de intellectu loquens, dicit (III. de Anima text. comm. xxix.) ipsum non solum incorruptibilem, sed etiam perpetuum esse.

(1) ac visissitudine secundum determinata annorum curricula observata.

Quidam vero, catholicam fidem profitentes, Platoniorum doctrinis imbuti, viam mediam tenuerunt. Quia enim secundum fidem catholicam nihil est æternum præter Deum; humanas quidem animas æternas non posuerunt; sed eas cum mundo, sive potius ante mundum visibilem creatas esse, & tamen eas de novo corporibus alligari. Quam quidem positionem primus inter christianæ fidei professores Origenes, I. Lib. Periarch. cap. vii. & seqq. posuisse invenitur, & post eum plures ipsum sequentes: quæ quidem opinio usque hodie apud hæreticos manet: quorum Manichæi eas etiam æternas asserunt cum Platone, & eas de corpore ad corpus transire.

Sed de facili ostendi potest, præmissas positiones non esse veritate subnixas. Quod enim non sit unus omnium intellectus possibilis, neque agens, jam supra cap. lxxviii. & lxxvi. est ostensum: unde restat contra istas positiones procedere quæ dicunt, plures animas esse hominum, & tamen ponunt eas ante corpora extitisse, sive ab æterno, sive à mundi constitutione: quod quidem videtur inconveniens his rationibus.

1. Ostensum est enim supra cap. lxxviii. animam uniri corpori ut formam, & actum ipsius. Actus autem licet sit naturaliter prior potentia, tamen in eodem tempore est posterior: movetur enim aliquid de potentia in actum. Prius igitur fuit semen, quod quidem est potentia vivum, quam esset anima, quæ est actus vitæ.

2. Adhuc. Unicuique formæ naturæ est propria materia uniri: alioquin constitutum ex forma & materia, esset aliquid præter naturam. Prius autem attribuitur unicuique quod convenit ei secundum naturam quam quod convenit ei præter naturam: quod enim convenit alicui præter naturam, inest ei per accidens; quod autem convenit ei secundum naturam, inest ei per se. Quod autem per accidens est, semper posterius est eo quod est per se. Animæ igitur prius convenit esse uniram corpori quam esse à corpore separatam. Non est igitur creata ante corpus cui unitur.

3. Amplius. Omnis pars à suo toto separata, est imperfecta. Anima autem, cum sit forma, ut probatum est cap. lxxviii. est pars speciei humanæ. Igitur existens per se absque corpore, est imperfecta. Perfectum autem est prius imperfecto in rerum naturalium ordine. Non igitur competit naturæ ordinis quod anima fuerit prius creata à corpore exita quam corpori unita.

4. Amplius. Si animæ sunt creatæ absque corporibus, querendum est, quomodo sint corporibus unitæ. Aut enim hoc fuit violenter, aut per naturam. Si autem violenter, omne autem violentum est contra naturam: unio igitur animæ ad corpus est præter naturam: homo igitur, qui ex utroque componitur, est quid innaturale: quod patet esse falsum. Præterea substantiæ intellectuales altioris ordinis sunt quam corpora cælestia. In corporibus autem cælestibus nihil invenitur violentum, neque contra naturam. Multo igitur minus in substantiis intellectualibus. Si autem naturaliter animæ sunt corporibus unitæ: naturaliter igitur animæ in sui creatione appetierunt corporibus uniri. Appetitus autem naturalis statim prodit in actum, nisi sit aliquid impediens, sicut patet in motu gravium & levium, natura enim semper uno modo operatur. Statim ergo à principio suæ creationis fuissent corporibus unitæ, nisi esset aliquid impediens. Sed omne impediens executionem naturalis appetitus, est violentiam inferens. Per violentiam igitur fuit quod animæ essent aliquo tempore à corporibus separatæ: quod

est inconveniens: tum quia in illis substantiis non potest esse aliquid violentum, ut supra ostensum est; tum quia violentum, & quod est contra naturam, cum sit per accidens, non potest esse prius eo quod est secundum naturam; neque totam speciem consequens. Præterea cum unumquodque naturaliter appetat suam perfectionem, materia est appetere formam, & non è converso. Anima autem comparatur ad corpus sicut forma ad materiam, ut supra cap. lxxviii. & lxxv. ostensum est. Non igitur unio animæ ad corpus fit per appetitum animæ, sed magis per appetitum corporis.

Si autem dicatur, quod utrumque est animæ naturale, scilicet uniri corpori, & esse à corpore separatam, pro diversis temporibus; hoc videtur esse impossibile.

1. Quia ea quæ naturaliter variantur circa subiectum accidentia, sicut juvenitus, & senectus. Si igitur uniri corpori, & separari à corpore, naturaliter circa animam variantur, erit accidens animæ corpori uniri, & sic ex hac unione homo constituitur, non erit ens per se, sed per accidens.

2. Præterea. Omne illud cui accidit alteritas aliqua secundum diversitatem temporum, nescit subiectum celestium motum, quem sequitur totus temporis cursus. Substantiæ autem intellectuales, & incorporeæ, inter quas sunt animæ separatæ, excedunt totum ordinem corporis, unde non possunt esse subiecta cælestibus motibus. Impossibile est igitur quod secundum diversa tempora naturaliter uniantur quandoque, & separentur quandoque, vel naturaliter nunc hoc, nunc illud appetant.

Si autem dicatur, quod neque per violentiam, neque per naturam corporibus uniantur, sed spontanea voluntate; hoc esse non potest.

Nullus enim vult in statum pejorem venire nisi deceptus. Anima autem separata est altioris status, quam corpori unita, & præcipue secundum Platonicos, qui dicunt, quod ex unione corporis patitur oblivionem eorum quæ prius scivit, & retardatur à contemplatione puræ veritatis. Non igitur volens corpori uniri nisi decepta. Deceptionis autem nulla in eo causa potest existere, cum ponatur secundum eos scientiam omnium habere. Nec posset dici, quod iudicium ex universalis causa procedens in particulari eligibili subvertatur propter passiones, sicut accidit in continentibus: quia passiones huiusmodi non sunt absque corporali transmutatione, unde non possunt esse in anima separata. Relinquitur igitur quod anima, si fuisset ante corpus, non uniretur corpori propria voluntate.

2. Præterea. Omnis effectus procedens ex concursu duarum voluntatum ad invicem non ordinatarum, est effectus casualis; sicut patet cum aliquis intendens emere, obviam in foro creditori illuc non ex conducto venienti. Voluntas autem patris generantis, ex qua dependet generatio corporis, non habet ordinem cum voluntate animæ separatæ uniri volentis. Cum igitur absque utraque voluntate unio corporis & animæ fieri non possit, sequitur quod sit casualis; & ita generatio hominis non est à natura, sed à casu: quod patet esse falsum, cum sit ut in pluribus.

Si autem rursus dicatur, quod nec ex natura, nec ex propria voluntate anima corpori unitur, sed ex divina ordinatione; hoc etiam non videtur conveniens, si animæ ante corpora fuerunt creatæ.

Unumquodque enim Deus insuit secundum convenientem modum suæ naturæ: unde & Genesis 1. de singulis creatis dicitur: (1) Videns Deus quod

R. ... esset

(1) An hic, & paullo post legendum Vidit?

esset bonum: & simul de omnibus: *Videns cuncta quae fecerat, & erant valde bona.* Si igitur animas creavit à corporibus separatas, oportet dicere, quod hic modus essendi sit convenientior naturae earum. Non est autem ad ordinationem divinae bonitatis pertinens, res ad inferiorem statum reducere, sed magis ad meliorem promovere. Non igitur ex divina ordinatione factum fuisset quod anima corpori uniretur.

2. Præterea. Non pertinet ad ordinem divinae sapientiae, cum superiorum detrimento, ea quae sunt infima, nobilitare. Infima autem in rerum ordine sunt corpora generabilia, & corruptibilia. Non igitur fuisset conveniens ordini divinae sapientiae ad nobilitandum humana corpora, animas præexistentes eis unire, cum hoc sine detrimento earum esse non possit, ut ex dictis patet.

Hoc autem Origenes considerans, cum poneret animas humanas à principio fuisse creatas, dixit quod ordinatione divina animae corporibus sunt unitae, sed in earum poenam: nam ante corpora eas peccasse existimavit; & pro quantitate peccati corporibus nobilioribus vel minus nobilibus eas unitas esse, quasi quibusdam carceribus inclusas.

Sed hæc positio stare non potest. 1. Pena enim bono naturae adversatur, & ex hoc dicitur mala. Si igitur unio animae, & corporis est quoddam poenale, non est bonum naturae; quod est impossibile: est enim intentum per naturam, nam ad hoc naturalis generatio terminatur. Et iterum sequeretur quod esse hominem non esset bonum secundum naturam; cum tamen Genes. 1. 31. dicatur post hominis creationem: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona.*

2. Præterea. Ex malo non provenit bonum nisi per accidens. Si igitur propter peccatum animae separatae hoc constitutum est quod anima corpori uniretur; cum hoc sit quoddam bonum, per accidens erit. Casuale igitur fuit quod homo fieret: quod derogat divinae sapientiae, de qua dicitur Sapientiae xi. quod omnia in numero, pondere, & mensura instituit.

3. Adhuc autem & hoc repugnat apostolicæ doctrinae manifeste: dicitur enim Roman. ix. 11. de Jacob, & Esau; quod *cum nondum nati essent, aut aliquid boni, aut mali egissent: dictum est, quod majori serviet minori.* Non igitur antequam hoc verbum diceretur, aliquid eorum animae peccaverant; cum tamen hoc post eorum conceptionem dictum fuerit, ut patet Genes. cap. xlv.

Sunt autem supra, cum de distinctione rerum ageretur, plura contra Origenis positionem inducta, quae etiam hic possent assumi: & ideo eis prætermisissis, ad alia transeundum est.

4. Item. Necessè est dicere, quod anima humana aut indigeat sensibus, aut non. Videtur autem manifeste per id quod experimur, quod indigeat sensibus: quia qui caret sensu aliquo, non habet scientiam de sensibilibus quae cognoscuntur per sensum illum; sicut cæcus natus nullam scientiam habet, nec aliquid intelligit de coloribus. Et præterea si non sunt necessarii humanae animae sensus ad intelligendum, non inveniretur in homine aliquis ordo sensitivæ, & intellectivæ cognitionis; cuius contrarium experimur: nam ex sensibus fiunt in nobis memoriae, ex quibus experimenta de rebus accipimus, per quae ad comprehendendum universalia scientiarum, & artium principia pervenimus. Si ergo anima humana ad intelligendum sensibus indiget, natura autem nulli deficit in necessariis ad propriam operationem explendam; sicut animalibus habentibus animam sensitivam, &

motivam dat convenientia organa sensus, & motus; non fuisset anima humana sine necessariis administrabilis sensuum instituta. Sensus autem non operantur sine organis corporeis, ut ex dictis cap. lvii. & lxxviii. patet. Non igitur fuit instituta anima sine corporeis organis. Si autem anima humana non indiget sensibus ad intelligendum, & propter hoc dicitur absque corpore fuisse creata; oportet dici, quod antequam corpori uniretur, omnium scientiarum veritates intelligebat per se ipsam: quod Platonicis concesserunt, dicentes, ideas, quae sunt formae rerum intelligibiles separatae, secundum Platonis sententiam, causam scientiae esse; unde anima separata, cum nullum impedimentum adesset, plenarie omnium scientiarum cognitionem accipiebat. Oportet igitur dicere; quod dum corpori unitur, cum inveniatur ignorans, oblivionem præhabita scientiae patitur: quod etiam Platonicis consentitur; huius rei signum esse dicentes, quod quilibet quantumcumque ignoret, ordinate interrogatus de his quae in scientiis traduntur, veritatem respondet; sicut cum aliquis jam obliquo aliquorum quae prius scivit, seriatim proponit ea quae prius fuerat oblitus, in eorum memoriam ipsum reducit. Ex quo etiam sequeretur quod addiscere non esset aliud quam reminiscere.

Sic igitur ex hac positione de necessitate concluditur, quod unio corporis & animae præter intelligentiae animae impedimentum. Nulli autem rei natura adjunxit aliquid per quod sua operatio impediat; sed magis ea per quae fiat convenientior. Non igitur erit unio corporis & animae naturalis; & sic homo non erit res naturalis, nec ejus generatio naturalis: quae patet esse falsa.

5. Præterea. Ultimus finis rei cuiuslibet est id ad quod res pervenire nititur per suas operationes. Sed per omnes proprias ordinatas operationes & rectas homo pervenire nititur in veritatis contemplationem: nam operationes virtutum activarum sunt quaedam præparationes & dispositiones ad virtutes contemplativas. Finis igitur hominis est pervenire ad veritatis contemplationem. Propter hoc igitur anima est unita corpori, quod est esse hominem. Non igitur per hoc quod unitur corpori, scientiam habitam perdit; sed magis ei unitur, ut scientiam acquirat.

6. Item. Si aliquis scientiarum ignarus, de his quae ad scientias pertinent, interrogetur, non respondebit veritatem nisi de universalibus principiis, quae nullus ignorat, sed sunt ab omnibus eodem modo, & naturaliter cognita; postmodum autem ordinate interrogatus, respondebit veritatem de his quae sunt propinqua principiis, habito respectu ad principia; & sic deinceps quousque veritatem primorum principiorum ad ea de quibus interrogatur, applicare potest. Ex hoc igitur manifeste apparet quod per principia prima, in eo qui interrogatur, causatur cognitio de novo. Non igitur prius habitae notitiae reminiscitur.

7. Præterea. Si ita esset animae naturalis cognitio conclusionum sicut principiorum, eadem esset scientia apud omnes de conclusionibus sicut de principiis: quia quae sunt naturalia, sunt eadem apud omnes. Non est autem eadem scientia apud omnes de conclusionibus, sed solum de principiis. Patet igitur quod cognitio principiorum est nobis naturalis, non autem conclusionum. Quod autem non est naturale nobis, acquirimus per id quod est naturale, sicut etiam in exterioribus per manus institutum omnia artificialia. Non ergo conclusionum scientia est in nobis nisi ex principiis acquisita.

Ad

8. Adhuc. Cum natura semper ordinetur ad unum, unius virtutis oportebit esse naturaliter unum obiectum, sicut visus colorem, & auditus sonum. Intellectus igitur, cum sit una vis, est ejus unum naturale obiectum, cuius per se & naturaliter cognitionem habet. Hoc autem oportet esse id sub quo comprehenduntur omnia ab intellectu cognita; sicut sub colore comprehenduntur omnes colores, qui sunt per se visibiles, quod non est aliud quam ens naturaliter. Igitur intellectus noster cognoscit ens, & ea quae sunt per se entis, in quantum huiusmodi: in qua cognitione fundatur primorum principiorum notitia, ut non esse simul affirmare, & negare, & alia huiusmodi. Hæc igitur sola principia intellectus noster naturaliter cognoscit; conclusiones autem per ipsa, sicut per colorem cognoscit visus omnia sensibilia, tam communia, quam sensibilia per accidens.

9. Præterea. Id quod per sensum in nobis acquiritur, non infuit animae ante corpus. Sed ipsorum principiorum cognitio in nobis ex sensibilibus causatur: nisi enim aliquod totum sensu percipissemus, non possemus intelligere quod totum esset majus parte, sicut nec cæcus natus aliquid percipit de coloribus. Ergo nec ipsorum principiorum cognitio affuit animae ante corpus: multo igitur minus aliorum. Non igitur firma est Platonis ratio, quod anima fuit antequam uniretur corpori.

10. Item. Si omnes animae præxiterunt corporibus quibus uniantur, consequens videtur quod eadem anima secundum vicissitudinem temporum diversis corporibus uniat: quod quidem aperte consequitur ponentes aeternitatem mundi: si enim generatio hominum est sempiterna, oportet infinita corpora humana generari, & corrumpi secundum totum temporis decursum. Aut ergo oportebit dicere, animas præxiterisse actu infinitas, si singulae animae singulis corporibus uniantur; aut oportebit dicere, si animae sunt finitae, quod eadem uniantur nunc his, nunc illis corporibus. Idem autem videtur sequi, si ponantur animae præfuisse corporibus, cum & hæc generatio non sit aeterna. Etsi enim ponatur humana generatio non semper fuisse, tamen nulli dubium est quin secundum naturam in infinitum possit durare: sic enim est unusquisque naturaliter institutus, nisi per accidens impediatur, ut sicut est ab alio generatus, ita possit alium generare. Hoc autem est etiam impossibile, si animabus existentibus finitis, una pluribus corporibus uniri non possit: unde & plures ponentium animas ante corpora, ponunt transitum animae de corpore in corpus. Hoc autem est impossibile. Non igitur animae ante corpora præxiterunt. Quod autem sit impossibile unam animam diversis corporibus uniri, sic patet.

11. Animae enim humanae non differunt specie ab invicem, sed numero solo; alioquin & homines specie differrent. Differentia autem secundum numerum inest secundum principia materialia. Oportet igitur diversitatem animarum humanarum secundum aliquid materiale sumi. Non autem ita quod ipsius animae sit materia pars: ostensum enim supra cap. l. quod est substantia intellectualis, & quod nulla talis substantia materiam habet. Relinquitur ergo quod secundum ordinem ad diversas materias, quibus animae uniantur, diversitas, & pluralitas animarum sumatur, eo modo quo supra dictum est. Si igitur sunt diversa corpora, necesse est quod habeant diversas animas sibi unitas: non igitur una pluribus unitur.

2. Adhuc. Ostensum est supra cap. lvi. t. animam uniri corpori ut formam. Formas autem oportet esse

propriis materiis proportionatas; cum se habeant ad invicem sicut potentia, & actus: proprius autem actus propriae potentiae responderet. Non ergo una anima pluribus corporibus unitur.

3. Amplius. Virtutem motoris oportet esse suo mobili proportionatam: non enim quaecumque virtus movet quodcumque mobile. Anima autem etsi non sit forma corporis, non tamen potest dici, quod non sit motor ipsius: animatum autem ab inanimato distinguimus sensu, & motu. Oportet igitur secundum diversitatem corporum esse diversitatem animarum.

4. Item. In his quae generantur, & corrumpuntur, impossibile est per generationem reiterari idem numero: cum enim generatio, & corruptio sit motus in substantiam in his quae generantur, & corrumpuntur, non manet substantia eadem, sicut manet in his quae secundum locum moventur. Sed si una anima diversis corporibus generatis unitur successive, reddidit idem numero homo per generationem: quod secundum Platonem de necessitate sequitur, qui dixit, hominem esse animam corpore indutam: sequitur etiam & in aliis quibuscumque; quia cum unitas rei sequatur formam, sicut & esse, oportet quod illa sint idem numero quorum est forma numero una. Non igitur est possibile unam animam diversis corporibus uniri: ex quo etiam sequitur quod nec animae fuerunt ante corpora.

Huius autem veritati, catholicae fidei sententia concordat: dicitur enim in Psalm. xxxi. 15. *Qui finxit singillatim corda eorum:* quia scilicet unicuique seorsum proprie Deus animam fecit; non autem simul omnes creavit, nec unam diversis corporibus adjunxit. Hinc etiam in Libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. xiv. dicitur: *Animas hominum dicimus non esse ab initio inter ceteras intellectuales naturas, nec simul creatas, sicut Origenes finxit.* Lib. I. Periarc. cap. vii.

CAPUT LXXXIV.

Solutio rationum contra superiorem conclusionem.

Rationes autem quibus probatur, animas ab aeterno non fuisse, vel saltem corporibus præxiterisse, facile est solvere.

Quod enim primo dicitur, animam habere virtutem ut sit semper, concedi oportet. Sed sciendum, quod virtus, & potentia rei non se extendit ad id quod fuit, sed ad id quod est, vel erit: unde & in præteritis possibilitas locum non habet. Non igitur ex hoc quod anima habet virtutem ut sit semper, potest concludi, quod semper fuerit, sed quod semper erit. Præterea ex virtute non sequitur id ad quod est virtus, nisi præsupposita virtute. Quamvis igitur anima habeat virtutem ut sit semper, non tamen potest concludi quod anima sit semper, nisi postquam hanc virtutem accepit. Si autem sumatur, quod hanc virtutem ab aeterno habuerit, erit petendum id quod oportebit probari, scilicet quod fuerit ab aeterno.

Quod vero obijcitur de aeternitate veritatis, quam intelligit anima, considerare oportet, quod intellectus veritatis aeternitas potest intelligi dupliciter: uno modo quantum ad id quod intelligitur; alio modo quantum ad id quo intelligitur. Et si quidem veritas intellecta sit aeterna quantum ad id quod intelligitur, sequetur aeternitas rei quae intelligitur, non autem intelligentis. Si autem veritas intellecta sit aeterna quantum ad id quo intelligitur, sequetur intelligentem animam esse aeternam. Sic autem veritas intellecta non est aeterna, sed primo modo. Ex præmissis

R 2

enim